PRECES

IN VSVM SCHOLAE PAVLINAE, IDEO

impressæ, vt accurate à singulis eiusdem scholæ pueris ediscantur, ne lingua non intellecta precentur.

D-8-69.

Puerorum vnus præcinit, cui cæteri succinunt.

LONDINI,
Excudebat Simon Stafordus,
& venduntur per Matthæum Lawum. 1600.

Not in STC (1914)

Quitera son son son Boma se se se
venta pinta venta shanke pro mo
me me ~~me~~ de modo de toto seta
setta setta ee dans a canale



PRECES MATVTINAE, CVM AD STVDIA CONVENIVNT PVERI.

Versiculus.

1.
Audemus pueri Dominum: Laudemus nomen Domini.

2. Qui noctis tenebras dispulit, qui lucem mundo reddidit.

Oremus.

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adveniat Regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationē, sed libera nos a malo. Amen.

Psalmus sexagesimus septimus.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus: confiteãtur tibi populi omnes. Lætentur, & exultent gentes, quia iudicabis populos in æquitate, & gentes in terra diriges. Cõfiteantur tibi populi Deus: Confiteantur populi omnes. Terra dedit fructũ suum. Benedicet nos Deus, Deus noster: Benedicet nos Deus, & metuent eum omnes fines terræ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Oremus, pro Reginea Maiestate.

OMnipotens Deus, cuius regnum est æternum, & potentia infinita, miserere

miserere vniuersæ Ecclesiæ, & sic dirige cor electæ famulæ tuæ Elizabethæ Reginæ nostræ vt & ipsa tuo præsidio ab omni inimicorum & vi & insidiis tuta, cognoscat se esse famulam tuam, & ante omnia quærat gloriam & honorem tuum, & vt nos ei subiecti agnoscentes, vt decet, eam a te habere imperium, eiusq; per te vita et fœlice & diuturna pertruentes, quod enixissime a tua Maiestate supplices contendimus, fideliter ei seruiamus, eam honoremus & obsequamur ipsi cum omni submissione in te & propter te, iuxta præceptum tuum, per Iesum Christū Dominum nostrum. Amen.

Pro Reipublicæ præfectis in genere.

OMnipotens sempiterne Deus, qui solus sapientiam homini infundis, largire quæsumus spiri-

tum gratiæ tuæ famulis tuis omnibus & singulis, qui Regineam Maiestatem prudenti consilio adiuuant, qui Ecclesiæ tuæ fideliter præsunt, qui rẽpublicam vel generis nobilitate, vel Principis delectu, diligenti præfectura administrant, reliquisque huius Regni subditis vniuersis, vt suam quisque vocationem studiose persequentes tuæ gloriæ bonoq; communi, cum omni obsequio possint deseruire. Amen.

Gratiarum actio pro scholæ Paulinæ fundatore.

AEterne Deus, a quo solo omne bonum consilium, omnis bona cogitatio procedit, qui pio famulo tuo, optimo fundatori nostro, Domini Ioanni Colletto, Ecclesiæ Paulinæ quondam Decano, bonã mentem

rem inſpirasti, vt ſcholam hanc in vſum Eccleſiæ tuæ, vtilitatem regni Anglicani, noſtræq; ætatis inſtitutionem literariam, magno ſumptu ſuo extruendam, ampliſsimiſq; ſtipendiis perpetuandam curaret, Maieſtatem tuam ſuppliciter oramus, vt bonam etiam mentem nobis pueris inſtilles, qui ſine gratia tua a via, & vero inſolenter aberramus, vt cum omni diligentia eo cõtendamus, quo bonus ille noſter fundator, nos voluit peruenire, vt bene, pieq; eruditi, gratias tibi perpetuas agamus, qui talem nobis fundatorem tum miſericorditer excitaſti, vtque Eccleſiæ tuæ communiq; Reipublicæ tandem aliquando vtiles euadamus. Amen.

Pro

CLementissime Pater cœlestis, qui cœlum & terram, quæque in eis sunt omnia summa sapientia cõdidisti, parique eadem prudentia conseruas, concede quæsumus huius scholæ procuratrici Mercerorum huius vrbis Londinensis splendidissimæ societati, vt quemadmodum prudẽtissimus ille scholæ huius fundator Dominus Ioannes Collettus scholam hanc suam illorum fidei tuendam fulciendamq; commisit, ita fideliter eam tueantur, & curent, eiusq; bono diligenter prospiciant, vt & ipsi bonæ conscientiæ testimonio freti, fidem suam defuncto fundatori constanter exoluant, & nos, nostriq; similes eorum cura, prudentiaq; bene instituti, vt hodie, sic perpetuo etiam pro illorum incolumitate

preces

preces apud Maiestatem tuam supplices effundamus, vt & huius vitæ curriculum honeste conficiant, & mortui æternæ fœlicitatis possessionem assequantur, per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro parentibus, præceptoribus, & amicis.

ÆTerne Deus & Pater Domini ac seruatoris nostri Iesu Christi, qui parẽtes nobis, præceptores, amicosq; cõcessisti, vt nostræ ætati res necessarias subministrarent, eam in bonis literis ac disciplinis educarent, consilio deniq; & monitis errantem, in viam reuocarent: Maiestatem tuam suppliciter oramus, pro parentibus filii obsequentes, pro præceptoribus discipuli officiosi, pro amicis pueri ingenui, vt eos omnes tua misericordia digneris, quo & præceptores literarii suo

erga

erga te in nobis erudiendis officio defungantur, parentes nostri præceptorum diligentiæ in nobis educandis pari studio respondeant, amici nostri pro facultate sua nostræ infirmitati consulant, vt cum reddenda erit illis nostræ educationis correctionisque ratio, fidenter possint coram tribunali seruatoris, ac Iudicis nostri Iesu Christi comparere. Amen.

Puerorum, pro suo in studiis pio progressu, precatio.

DOmine pater cœli ac terræ effector, qui liberaliter tribuis sapientiam omnibus eam a te cum fiducia petentibus, exorna quæsumus ingeniorum nostrorũ bonitatem, quã cum cæteris naturæ viribus nobis infudisti, luminæ diuinæ gratiæ tuæ, vt

non

non modo quæ ad cognoscendum te, & seruatorem nostrum Dominum Iesum valeant, intelligamus, sed etiam tota mente, & voluntate persequamur, & indies benignitate tua, tum doctrina, tum pietate proficiamus, vt qui efficis omnia in omnibus, in nobis resplendescere dona tua facias, ad gloriam sempiternam immortalis Maiestatis tuæ. Amen.

Versiculus.

DIrige Domine cursum studiorum nostrorum: vt in eo soli tibi toti pareamus. Amen.

PRE-

PRECES ANTEMERIDIANAE, CVM MATVtina ſtudia intermittuntur.

Verſiculi.

1. MAgnificate Dominũ mecum: Sit ſemper laus eius in ore noſtro.

2. Sit nomen Domini benedictũ, qui viuit omnipotens in æternum.

Oremus.

Pſalmus decimus tertius ſupra centeſimum.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini: ſit nomen Domini

ni benedictum, ex hoc nunc & vsq; in seculum. A solis ortu vsq; ad occasum laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui: Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nũc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Credamus.

CRedo in Deũ patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui

conceptus

conceptus est per Spiritum sanctum, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos. Tertio die resurrexit a mortuis, Ascendit ad cœlos: Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam catholicam: sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionẽ, & vitam æternam. Amen.

Psalmus ad musicen decantatus per pueros & musicum Magistrum.

Oremus.

GRatias agimus tibi omnipotens sempiterne Deus, cuius misericordi benignitate effectum est, vt ante meridianum hoc tempus, in bonis

bonis ſtudiis, intenti, ſaluiq; tranſegerimus: eandem tuam miſericordiam flexis corporum et animorum genibus ſupplices precamur, vt quod ſupereſt temporis meridiani, neceſſario victui, & animorum relaxationi tribuendum, ita ſobrie modeſteq; peragamus, vt tuæ interim gloriæ ſtudioſe ſeruiamus, per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. Amen.

Verſiculus.

ADiutorium noſtrũ in nomine Domini: qui fecit cœlum et terram. Amen.

PRECES POMERIDIANAE, CVM A PRANDIO ad ſtudia reditur.

Verſiculus.

1. Enedicamus Domino in omni tempore: Qui ex ore paruulorum educit laudem ſuam.

2. In quem proiicimur ab vtero matrum noſtrarum: qui delertos a parentibus verus pater ſuſcipit.

Oremus.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum: Adueniat Regnum tuum: Fiat voluntas

luntas tua ſicut in cœlo, ſic & in terra: Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen.

Pſalmus nonageſimus quintus.

VEnite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſsione, & in Pſalmis iubilemus ei. Quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellit Dominus plebem ſuam: quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite adoremus, &

procidamus ante Deum, flectamus genua coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius, et oues pascuæ eius. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

Oremus.

AVdi preces nostras æterna Patris sapientia Domine Iesu, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidisti, adde quæso ad naturæ propensionem auxilium gratiæ tuæ, vt literas ac liberales disciplinas citius perdiscamus, sed tuæ gloriæ seruituras, quarum adminiculis adiutæ mentes nostræ plenius assequantur cognitionem tui, quem nosse fœlicitatis humanæ

manæ ſumma eſt, vtq; ad tuæ ſanctiſsimæ pueritiæ exemplum indies proficiamus ætate, ſapientia & gratia apud Deum & apud homines, qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Verſiculus.

DOminus ſapientiã infundit paruulis: Dominus illos magiſtris ſuis doctiores facit. Amen.

PRECES VESPERTINÆ, cum pomeridiana studia intermittuntur.

Versiculus.

1. ILlumina Domine Deus tenebras nostras: & futuræ noctis insidias a nobis repelle propitius.

2. Dominus custodiat nos, & protegat nos, vt in pace ipsius dormientes requiescamus.

Psalmus centesimus vicesimus septimus.

NIsi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eã.

Nisi

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Vanũ eſt vobis ante lucem ſurgere, tardius ire dormitum, manducare panem in triſtitia. Certum dabit Dominus dilectis ſuis ſomnum: Ecce hæreditas Domini filii: merces, fructus ventris. Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii adoleſcentiæ. Beatus vir, qui impleuit illis pharetram ſuam, non confundetur, cũ loquetur inimicis ſuis in porta. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

Faciamus. Exod. 20.

LOcutus eſt Dominus omnes ſermones hos. 1. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis. Non habebis deos alienos coram me. 2. Non

facies tibi sculptile, aut similitudinem rei alicuius in cœlo sursum, aut in terra deorsum, siue in aquis sub terra. Non adorabis ea, neq; coles: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millibus, qui diligunt me, & custodiant præcepta mea. 3. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nō enim erit insons coram Domino, qui vsurpauerit nomen Domini Dei sui frustra. 4. Memento, vt diem sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. Sex

enim

enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei septimo, & sanctificauit eã. 5. Honora patrem tuũ, & matrem tuam, vt sis longeuus super terrã, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 6. Non occides. 7. Non mœchaberis. 8. Non furtum facies. 9. Non loqueris contra proximũ tuũ falsum testimonium. 10. Non concupisces domum proximi tui, nõ desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, nõ bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Psalmus ad musicen decantatus per pueros, & musicum Magistrum.

Oremus.

GRatias agimus tibi omnipotens æterne Deus, qui pro infinita bonitate tua, nos indignos famulos

tuos

tuos dignatus es hoc die ab hostiũ nostrorũ tam corporis, quam animi insidiis saluos, & incolumes custodire, teq; precamur, vt quicquid hodie, cogitando, loquendo, faciendo contra præcepta, mandataq; tua deliquimus, id totum nobis, ex paterna benignitate tua remittas atq; condones. Ad hæc te rogamus, & obtestamur, vt & hanc nobis noctem velis salutarem esse, nosq; ab omni periculo corporis & animi, tua eadem bonitate, & gratia clementer tueri, vt oculi nostri tranquille dormiant, corpus secure quiescat, & animus ad te semper vigilet, ne vnquam suggillatori Satanæ consentiat, per Iesum Christum Dominũ nostrum. Amen.

Versiculus.

MAgnificemus Dominum, quia bonus Dominus, quia in seculũ misericordia eius.

SI QVANDO IBITVR LVSVM, VEL CITIVS intermittentur ſtudia.

Verſiculi.

1. GRatias agimus Domino Deo noſtro: qui noſtræ ſaluti tam clementer conſulit.

2. Qui feſſa labore corpora quiete reficit: qui laſſos literis animos luſu reparat.

Pſalmus centeſimus viceſimus octauus.

Oremus.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius, quia labores manuum tuarum manducabis, beatus

beatus es, & bene tibi erit. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filii tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic certe benedicetur homo, qui timet Dominum. Gloria patri, &c.

Psalmus ad musicen decantatus per pueros & musicum præceptorem.

Oremus.

ÆTerne Deus, qui ita hominem ad laborem condidisti, vt & quietem illi concederes, ne perpetuo laborũ tædio conficeretur: concede quæsumus, clementissime Pater, nobis pueris, quibus legitima præceptorum authoritate permittitur, vt reliquum huius diei tempus animorum relaxationi post studiorum tædia tribuamus: ita nos in lusu modeste gerere, ne quicquam admittamus, quo Maiestas tua lædatur, quo parentes, præcepto-

præceptoresq; noſtri commoueantur, quo vicini, ſpectatoresq; nos inſolentiæ accuſent: ſed ita nos comparemus, in luſu ad laudem priuatam, vt in ludo ad bonum publicum: ne vel cum Iſmaele ad parentum offenſionem colluſores æqualeſq; noſtros male tractemus, vel cum irriſoribus Eliſæi pueris, in malum noſtrum prouectiores ætate homines non honorifice excipiamus. Hoc a tua Maieſtate ſuppliciter contendimus, per & propter Ieſum Chriſtum vnicum Filium tuum, vnicũ ſeruatorem noſtrum. Amen.

Verſiculus.

QVi paruulos ad ſe inuitat, venientes ad ſe benedicit Dominus. Amen.

Iohannis

Iohannis Pici Mirandulæ *Deprecatoria ad Deum.*

ALme Deus ſumma qui maieſtate verendus,
Vere vnum in triplici numine numen habes,
Cui ſemper excelſi flammantia mœnia mundi,
Angelici ſeruit turba beata chori.
Cuius & immenſum hoc, oculis ſpectabile noſtris,
Omnipotens quondam dextra creauit opus.
Aethera qui torques, qui nutu dirigis orbem,
Cuius ab imperio fulmina miſſa cadunt.
Parce precor miſeris, noſtras precor ablue ſordes,
Ne nos iuſta tui pœna furoris agat.
Quod ſi noſtra pari penſentur debita lance:
Et ſit iudicii norma ſeuera tui,
Quis queat horrendum viuentis ferre flagellum
Vindicis, & plagas ſuſtinuiſſe graues?
Non ipſa natę reſtabit Machina dextrę
Machina ſupremo non peritura die.
Quæ mens non prima damnata ab origine culpæ?
Aut quę non proprio crimine facta nocens?
At certe ille ipſe es proprium cui parcere ſemper,
Iuſtitiamq; pari qui pietate tenes,

Præmia

Præmia qui vt meritis longe maiora rependis,
Supplicia admissis, sic leuiora malis.
Namq; tua est nostris maior clementia culpis,
Et dare non dignis res magè digna Deo est.
Quanquam sat digni, si quos dignatur amare
Qui quos nos dignos inuenit ipse facit.
Ergo tuos placido miserans precor aspice vultu,
Seu seruos mauis, seu magis esse reos.
Nempe reos, nostræ si spectes crimina vitæ
Ingratæ nimium crimina mentis opus.
At tua si potius in nobis munera cernas,
Munera præcipuis nobilitate bonis.
Nos sumus ipsa olim tibi quos natura ministros,
Mox fecit gnatos gratia sancta tuos.
Sed premit (heu) miseros tantæ indulgentia sortis,
Quos fecit natos gratia, culpa reos.
Culpa reos fecit, sed vincat gratia culpam,
Vt tuus in nostro crimine crescat honor.
Nam tua siue aliter sapientia, sine potestas,
Nota suas mundo prodere possit opes,
Maior in erratis bonitatis gloria nostris,
Illeq; præ cunctis fulget amandus amor.
Qui potuit cœlo Dominum deducere ab alto,
Inq; crucem summi tollere membra Dei,
Vt male contractas patrio de semine sordes,
Ablueret latens sanguis & vnda tui,
Sic amor & pietas tua Rex mitissime, tantis
Dat mala materiam suppeditare bonis.

O amor, O pietas nostris bene prouide rebus,
O bonitas formi facta ministra tui,
O amor, O pietas nostris male cognita sęclis,
O bonitas nostris nunc prope victa malis,
Da precor huic tanto, qui semper feruet amori
Ardorem in nostris cordibus esse parem,
Da Satanę imperium, cui tot seruisse per annos
Pœnitet, excusso deposuisse iugo.
Da precor, extingui vesanę incendia mentis,
Vt tuus in nostro pectore viuat amor,
Vt cum mortalis perfunctus munere vitę
Ductus erit Dominum spiritus ante suum,
Promissi regni fœlici sorte potitus
Non dominum, sed te sentiat esse patrem.

FINIS.